20 538

REGIA SENTENTIA LATA IN SACRO REGIO VALENTINO SENATV.

IN FAVOREM ILVSTRIS MARCHIONIS CIVITATIS DENIÆ.

CONTRA COLLEGIVM DIVI SEBASTIANI VILLÆ DE GANDIA SOCIETATIS IESV.

REFERENTE MAGNIFICO VICTORIANO A CALAHORRA GENEROSO, IN DICTO S. R. S. CONSILIARIO MERITISSIMO.

SVPER PRIMITIA THYNNORVM, QVI IN CETARIIS Ciuitatis, & Marchionatus Deniæ capiuntur.

GRANATÆ.

Ex Officina Regia. Apud *Franciscum Sanchez*. Anno 1652.

✠

QVIA Paulus Pereda Notarius syndicus, & Procurator Collegij Sancti Sebastiani Societatis IESV villę de Gandia, petitione posita coram Iudice decimarum, & primitiarũ pręsentis Ciuitatis, 14. die Maij anni 1634. deduxit; quòd etsi ius exigẽdi primitiam Rectoriæ ciuitatis Deniæ ad dictum Collegiũ pertineat: tamen Conductores cetariarũ (vulgó Almadraves) prædictæ ciuitatis, illam ex thynnis (nostro idiomate toñines) qui in dictis cetarijs capiuntur, de facto non solvisse, quãvis ex illis decima vniformiter soluta fuisset; & sic vtendo remedio sibi magis vtili, & cũ protestatione repetendi dictam primitiam ab alijs conductoribus, & aliorũ iurium dicto Collegio cõpetentium, petijt iuberi conductoribus, qui eo tunc erant dictarũ cetariarum, vt infra decẽ solverent dicto Collegio primitiam thynnorũ, qui tempore suæ conductionis in dictis cetarijs capti fuerunt. Quæ petitio fuit iniuncta prælibatis conductoribus, & Antonio Ramirez de Arellano Militi, vti administratori generali Marchionatus Deniæ. Et posteà per Vincentium Gazull quondam Notariũ Procuratorẽ Illustris Ducis de Lerma, Marchionis Deniæ, & dictorum cõductorum, & per Petrum Climent Notarium Procuratorẽ cõductorum in anno 1641. supplicatione posita 12. die Nouembris eiusdem anni, prædicta causa ad hanc Sacrã Regiam Audiẽtiam fuit euocata, & prosecuta cum præfatis conductoribus, & cum admodũ Illustribus Ducibus Sugurbij, Cardona, & Lerma, Marchionibus Deniæ, & conclusa cũ Procuratore Curatoris ad lites Illustris Marchionis Deniæ in minori ætate constituti; & pro illorum parte duæ præcipuè fuerũt dicto Collegio oppositæ exceptiones, vna scilicèt defectus iuris agendi, & illegitimitatis personæ; altera veró exemptionis á solutione dictæ primitię, & super illis varia hinc, inde per partes fuerũt deducta, & allegata, & testes producti, de quarum meritis nunc venit agendũ. Et attento quòd licèt pro parte dicti Collegij non fuerit exhibitus, nec allegatus titulus, quo primitia Rectoriæ Denię fuit illi applicata,

 seu

ſeu vnita, nec probata immemorialis poſſeſsio, centenaria, aut quadragenaria cum titulo; tamen ex diuerſis locationũ inſtrumentis ab eo productis conſtat dictum Collegium, ſeu eius ſuperiores locaſſe primitiã Villę, & Marchionatus Deniæ in annis 1564. 1578. 1611. 1615. & 1632. & cũ duo priora inſtruméta ſint valde antiqua, pręſumitur dictum Collegiũ in iuris primitię prędictæ poſſeſsione extitiſſe, illamque vſque ad tempus litis motæ cõtinuaſſe (vt apparet ex vltima locatione) nam probatis extremis media preſumuntur, quãvis locationes non ſint continuæ, pręſertim non docto quôd alius fuerit in poſſeſsione dicti iuris, maximé concurrẽtibus adminiculis, prout in hac cauſa cõcurrunt, nẽpe dictum Collegium ſolviſſe annuatim Vicario perpetuo ciuitatis Deniæ 150. libras pro eius ſalario, vt liquet apochis in proceſſu exhibitis, & teſtibus in cauſa productis. Ex quibus infertur Rectoriã ciuitatis Deniæ ſuppreſſam, & extinctam fuiſſe, & eius loco ſubrogatum Vicarium perpetuũ, proventuſque & emolumenta dictę Rectorię dicto Collegio applicata fuiſſe; aliter enim Archiepiſcopi huius Diœceſis, qui pro tẽpore extiterunt per tan longiſsimum tempus non detuliſſent conferre dictam Rectoriam, nec illi, aut dicti Vicarij perpetui adeò negligẽtes fuiſſent, patiendo primitiã à dicto Collegio, ſeu eius conductoribus exigi, nec illud dictum ſalarium annuũ prædicto Vicario præſtitiſſet. Quibus omnibus ſimul iunctis, ex dictis locationibus remanet comprobatum, dictum Collegium á 67. annis ante litem motam, fuiſſe in poſſeſsione percipiendi primitiã dictę Rectoriæ Deniæ, illamque ad illud pertinere, cùm ex tã longiſsima poſſeſsione ius oriatur, ſeu præſcriptione adquiratur, quæ in hoc caſu quadragenaria etiã ſine titulo ſufficeret, nam cũ dictũ Collegium agat contra perſonas laicas, dicta poſſeſsio non eſt contra ius commune, quãvis dicto Collegio non aſsiſtat, quod ſecus eſſet, ſi lis verteretur cõtra Vicarium perpetuũ, vel Eccleſiã Parrochialem Ciuitatis Deniæ, nam eo tunc cũ ius commune reſiſteret poſſeſsioni dicti Collegij, requireretur immemorialis, cẽtenaria, aut quadragenaria cum titulo, nec alia minor præſcriptio (iuxta magis cõmunem, & veriorẽ ſententiã) ſufficeret. Animadverſo deinde, quód etſi aliàs de iure primitia debeatur ex piſcibus, qui in mari, vel ſtagnis capiuntur, tamen in hoc Regno per Invictiſsimum Regem Iacobum Primum (ad quem, cum illud á Sarracenis proprio ſuo ſanguine, & immenſis ſumptibus

bus, & laboribus expugnaberit, primitiæ, & decimæ diuersis indultis Apostolicis per Summos Pontifices Alexandrũ II. Gregorium VII. & Vrbanum II. (vt ex plus quâm notorium) Serenissimis Sanctio Quarto, & Petro Primo, Aragonum Regibus, & eius successoribus iustissimis de causis concessis, spectabant) contrarium fuit dispositum in Foro 59. titulo de leuda, hostibus, & cursoribus, & apertius in Priuilegio 36. eiusdem Regis, ibi: *De piscibus autem qui in quocumque loco maris Regni Valentiæ capiuntur, detur nobis, & nostris decima pars, reliquæ verò nouem partes sint capientium; & de his non detur vnquam aliqua decima, vel primitia*: & quāvis ex thynnis, qui piscantur in dictis cetarijs Ciuitatis, & Marchionatus Deniæ non solvatur integra decima, sed ex duodecim thynnis detur vnus pro decima (vt est in comperto inter partes, & constat testibus ab eis productis) tamen diminutio prædicta non potest cedere in fauorem dicti Collegij, cûm nulla primitia ex piscibus in hoc Regno solvi debeat. Præterea in solutione primitiarum, & decimarum attenditur, & multum valet consuetudo, vt sancitum extat in Priuilegio 90. dicti Serenissimi Regis Iacobi Primi, & aliâs de iure, in tantum, quòd pars, quæ solvitur loco decimæ appellatur decima, & illam cum integritate dicitur solvere, qui solvit partem, seu quotam, quæ attenta consuetudine solita est dari, dummodo consuetudo fuerit legitimé prescripta, vt in presenti casu, nã à tempore immemoriali, aut saltim vltra 40. annos, vt deponunt testes vtriusque partis, assuetum est in Ciuitate, & Marchionatu Deniæ tantûm solvere pro decima vnum thynnum ex duodecim, vnde sicut si solveretur vnus ex decem, non posset dictum Collegium prætendere primitiam, iuxta dictum Priuilegium 36. idem dicendum est, etsi ex duodecim solvatur, vel detur vnus pro decima. Perpenso vlteriús, quód etsi testibus in hac causa per partes productis cõstet vsum cetariarum fuisse introductum á 54. anno ante litem motam, parum plus, vel minús, & quòd ab illius initio pro computo suæ Maiestatis fuerunt illæ positæ, & constructæ, vsque ad annum 1603. quo sua Maiestas suo Regio Priuilegio, confirmato posteà in Foro 62. Curiarum anni 1604. concessit facultatẽ Illustri Duci de Lerma, Marchioni Deniæ, & eius successoribus, construendi, & ponendi cetaria in quacumque parte litoris maris huius Regni, & sic Marchio, qui nunc est dictæ Ciuita-

uitatis Deniæ, non possit se iuuari immemoriali, quamvis testes ab eo producti deponant à tempore immemoriali esse in possessione non solvendi primitiam ex thynnis, qui in dictis cetarijs piscantur, nam cûm constet de illarum origine, non potest dari immemorialis, nec illorum depositiones vti commentitiæ attendi debent: tamen cùm dispositio dictorum Fori 59. & Priuilegij 36. fuerit á Regno capto, & sic à tempore immemoriali per totum Regnum, & in ciuitate, & Marchionatu Deniæ vniformiter observata, quòd ex piscibus, qui piscantur in mari, nunquam fuit soluta primitia, sed tantùm decima, vt ex notorium, & constat testibus pro parte dicti Marchionis productis, sequitur illum, nec illarum conductores non teneri solvere primitiam ex thynnis, qui in dictis cetarijs capiuntur, cum consuetudine non solum immemoriali, sed quadragenaria etiam sine titulo, iuxta veriorem iuris censuram effici possit, ne primitiæ, vel decime solvantur, vel quód ex certis fructibus, & rebus solvantur, & ex alijs non, dummodo alimenta, & congrua sustentatio ministrantibus Sacramenta supersint, cúm illæ respectu quotæ sint iuris positiui, quod abrogari potest, non solúm immemoriali, verùm etiàm consuetudine 40. annorum, nec in ea titulus est necessarius, licet secus esset in præscriptione quadragenaria, & sub illa generali consuetudine non solvendi primitiam ex piscibus, comprehendi thynnos hæsitatione caret, cùm sub genere, seu propriùs loquendo, sub specie piscium includantur: sicut enim genus comprehendit omnes species, ita species omnia indiuidua, quantô magis quod ante introductionem cetariarum piscabantur thynni in litore maris Ciuitatis Deniæ cũ retibus vulgo dictę tonayres, & nunquam ex illis, nec ex alijs piscibus soluta, nec petita fuit primitia aliqua, nec postquam dictæ cetarię fuerunt cóstructę; & sic non solùm dicta consuetudine immemoriali, sed quadragenaria, dictum Marchionem tueri posse fatendum est, maximé cùm in illa adsit titulus legitimus ex Foro, & Priuilegio supra adductis, & ex primitia aliorum fructuum plus quàm congrua sustentatio remaneret Rectori dictæ ciuitatis Deniæ, si dicta Rectoria suppressa non fuisset, liquet enim instrumentis, & testibus â dicto Collegio exhibitis, & productis, illius valorem excedere annuatim summam mille librarum. Nec releuat pro parte dicti Collegij, seu suorum conductorum non fuisse peti-

tam

tam primitiam ex thynnis, quia ante constructionem cetariarum exiguus numerus capiebatur, nam plus, & minus non mutant substantiam rei, nec faciunt differre specie, & prædicta possent procedere, quando ex alijs piscibus soluta fuisset primitia, & non fuisset petita ex thynnis, eo quód esset modici valoris. Prætereâ testibus ab vtraque parte productis, constat â tempore constructionis dictarum cetariarum, eandem quantitatem thynnorum piscari, qui nunc capiuntur, & primitiam ex illis nec exactam, nec vnquam petitam fuisse. Nec pariter refragatur, ius petendi dictam primitiam, esse facultatiuum dicto Collegio, & intentionem dicti Marchionis fundari in iure negatiuo illam non solvendi, quod adquirere non potuisse dictum Collegium contendit absque eius scientia, & patientia; nam prædicta non possunt locum habere stante dispositione dictorum Fori 59. & Priuilegij 36. nec in cõsuetudine non solúm immemoriali, verúm nec in quadragenaria, in quibus non requiritur quòd probetur scientia, & patientia adversarij; cúm illa præsumatur; & quod plus est, etiam Summi Pontificis; quàntò magis, quòd ius competens dicto Collegio non est meré facultatiuum, nec negatiuum, cum illud, non extaret dictorum Fori, & Priuilegij dispositio, potuisset in iudicium deducere, & compellere conductores dictarum cetariarum ad solvendum primitiam ex dictis thynnis; & ad illius exemptionem adquirendam, iuxta veriorem sententiam, sufficit quód primitia ex alijs fructibus exacta fuerit, & nunquam petita ex dictis thynnis, vt in collectis, tributis, & alijs vectigalibus. Attento denique, quôd etsi ex piscibus debeatur decima, & regulariter ex omnibus rebus, de quibus illa solvitur, debeatur primitia, cûm militet eandem ratio, & dictum Collegium prætendat ita fuisse declaratum per sæpé dictum Serenissimum Regem Iacobum Primum in sententia arbitrali lata 5. Kalendas Maij anni 1248. quæ refertur in Foro 1. titulo de decimis, & in Priuilegio 77. eiusdem Regis; tamen prædicta declaratio restringenda est ad res in dicta sententia contentas, vt constat ex illis verbis, ibi: *De omnibus, de quibus decima dati debet, vt superius est expressum, detur primitia.* Vnde cûm in illa nulla mentio facta fuerit de piscibus ad illos extendi non potest, & ad tollendum omne dubium, si aliquod superesset, illud posteá declaravit in dicto Priuilegio 36. quod fuit expeditum 12. Kalendas Februarij anni

1250.

1250. & sic post prolationem dictæ sententiæ arbitralis, statuendo, quòd ex piscibus, qui piscantur in mari, non soluatur primitia aliqua, sed tantùm decima. IDCIRCO, & aliàs deliberationem, & conclusionem in Sacro Regio Consilio sumptam insequendo, pronuntiamus, sententiamus, & declaramus, instantiã factam per dictum Collegium coram Iudice decimarum, cum supradicta petitione 4. diei Maij 1634. de iure nõ procedere, nec locum habere, repellendamque fore, & esse, vt cum præsenti repellimus, prædictumque Illustrem Marchionem Deniæ, seu cetariarum conductores minimè ob noxios esse ad solvendum primitiam ex thynnis, qui in dictis cetarijs capiuntur, & consequenter illos ab impetitis absolvendos esse, vti absolvimus, & neutrã partium in expensis condenamus.

Don Antonius Ioan de Centellas Reg.

V. D. Franciscus Bono. *V. D. Antonius Ioan de Centellas.*

V. Calahorra.

Publicata fuit huiusmodi Regia sententia per Vincentium Ferrera Militem, Regium Scribam mandati, 12. die Nouembris, anno 1652. Instante, & supplicante Antonio Ramirez de Arellano Procuratore Valentiæ.

atue

UNIVERSIDAD DE SEVILLA
600158483
i23524960
A 111/158
1) i23524960
2) i23471578
3) i2350187x
4) i23498250
5) i23501431
6) i23516021
7) i23612551
8) i23612666
9) i23480038
10) i23519459
11) i23489984
12) i23486521
13) i23512854
14) i23500724
15) i23486247
16) i30817055
17) i23471050
18) i23472108
19) i30817134
20) i2360525x